Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1675
Quelle:
Copyright:

VII. *fol.* 229. *Glossae in XII. Prophetas Minores.* Sine Autoris nomine. Scriptae, ut ad calcem dicitur: *Anno* 1422. Verum Scriptor ea, quae in *Osee* C. II. a v. 14. usque ad v. 16. C. VII. dicuntur, transcurrit, et animadverso errore postmodum a *fol.* 325. p. 2. usque ad finem *Cod.* subnexuit.

CCCCXXIV.

538 Codex chartaceus lat. Sec. partim XV. partim XIV. Folior. nunc 107. 4. commode scriptus, rubricisque distinctus haec complectitur: I. absque Titulo Tractatum *de prioribus V. Sacramentis*, qui incipit: *Ad christi ihesu domini nostri laudem et honorem* &c. ut *Codd.* CCCCXXIII. et DCCCII. cumque ad priorem notaverim, Autorem hujus et mox sequentis Tractatus eundem videri, hic quoque *de Sacramentis* Tractatus anonymus esse desinit.

II. *fol.* 30. sequitur *Tractatus*, ut e calce praecerpo, *contra errores diuersos et opiniones falsas pro nunc occurrentes et per ypocrisim defensatos reportatus per Wenceslaum de Podyebrad sub Anno domini M° CCCCXX. Omousyon miserere mei.* Articulos *Picardis Bohemicis* imputatos LXXVI. obpugnandos sibi sumit Noster, ita exorsus: *Primus articulus. Quod non sunt tres persone scilicet pater filius et spiritus sanctus equales potentia scientia et maiestate in perfecta vna eademque deitate. Quod autem iste Articulus sit hereticus patet ex fide scripture Gen. 1°. vbi dicit. In principio creavit deus celum et terram &c. Veritas hebraica habet In principio creauit heloym. i. dij celum et terram* &c. Ab hoc itaque Exemplo abest εἰσαγωγη, quam ad *Cod.* CCCCXXIII. indicavimus. In *Articulum* 35. de *Praga* exscindenda *fol.* 65. p. 2. ita commentatur: iniquitatem maximam esse *matrem ciuitatum in israel. ciuitatem literarum* (Jos. c. 15. v. 15.) *matremque veritatis eicere. que huius modi pseudo sompniatores veritatem noscere docuit et in omni ingenio — fouit et educauit. In illam ergo hoc cogitare fuit in toto deficere. — Quod autem scribentes et docentes vocauerint eam Babilon saluo timore Christi recte mentiti sunt in caput ipsorum, cum sit ierusalem super quam invocatum est nomen fortissimi dei. Ita ut XL. principes et gentem de tot regnis collectam innumere multitudinis fidelibus lacrimis deuotisque orationibus superauerit. et viriliter stans et resistens vsque in finem effugauerit et in alio bello miraculoso XVIII°.* (anno?) *Barones vna cum multitudine hostium interfecit. Et fortissimum castrum wissegraden. debellauit. quod non eius. sed dei fortissima misericordia super ipsam invocata effecit. — Quod autem in ea oderunt domos et alta edificia. hoc est ab ipsorum perfidia, cum scriptura sacra commendat Jozaphat* &c. qui videlicet domos ad instar turrium urbesque